



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 185. Adornata ab Huniade in Turcas expeditio

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](#)

utramque urbem intersecat, occupavit,  
& muros feliciter transcendit.

Sæcul. XV.  
A.C.1448.

§. CLXXXIV..

*Mainardus captivus abductus obit.*

Podiebracius jam urbe potitus ignem *Æn.Sylv.*  
extinguere, & domos flammarum vio-*hist. Boh.c.23*  
lentiæ magis obnoxias sole æquare,  
milites suos jubet: Resistentes passim tru-  
cidantur, Mainardus quoque captus arcto  
carceri addicitur, ibique tandem obit, si-  
ve veneno, sive fame, sive, ut plerique pu-  
tant, tædio confectus, cum jamjam pro-  
vectæ ætatis senex esset. Ex illo tem-  
pore Podiebracius urbis dominium, &  
Regni administrationem sibi soli vendi-  
cabat: Rochisana quoque, nullis licet  
Papæ literis munitus esset, Pragensis Ec-  
clesiæ Sedem invasit, & Archiepiscopi  
munia obivit, necquidquam obluctantibus  
Udalrico Mainardi Filio, & altero Udalri-  
co de Rosis Barone Catholico.

§. CLXXXV.

*Adornata ab Huniade in Turcas  
expeditio.*

Inter hæc Joannes Huniades Hunga-  
riæ Gubernator ignominiam prælia  
Varnensis abolere, cuique nominis famam  
resarcire maxime cupidus erat; hinc de-

O 4                   lectu

Sæcul. XV. lectu militum facto, exercitum duorum  
 A.C. 1448. ac viginti millium armatorum in Turcas  
 eduxit. Gecrgium quoque Mysiae De-  
 spotam in belli societatem vocare consti-  
 tuit, illo autem non ita pridem initam  
 cum Amurate concordiam, quam fran-  
 gere nollet, obtendente, Huniades per  
 Bulgaria copias suas ducere compulsa  
 est, comitante Bartholomæo Lapatio Flo-  
 rentino ex Ordine Prædicatorum, Epis-  
 copo Coronensi Sedis Apostolicæ Legato.  
 Amurates Huniadis vires, iterque, quod  
 suscepserat, a Georgio edoctus, admoto o-  
 ctoginta millium exercitu hostem præ-  
 vertit. Ad tam validi exercitus occur-  
 sum vehementer obstupuit Huniades, ex-  
 pectabat tamen Scanderbegum Albaniæ  
 Principem, prout inter eos convenerat, ab  
 Illyrico Turcarum copias aggressurum.  
 Nil reliquum erat, quam prælii discrimen  
 experiri. Concurrente igitur utroque  
 exercitu feria quinta die decima septima  
 Octobris pari utrinque vincendi aviditate  
 pugnatum est in vasto, planoque quadam  
 campo, qui in Mysiae & Bulgariae fines  
 longe, lateque excurrebat, atque ab  
 Hungaris Rigomerzovia, a Rascianis ve-  
 ro Cosova, hoc est, campus Merulæ no-  
 minabatur.

§. CLXXXVI.